

ob levitatem superficiei faciunt, ut insipientium in eas vicissim ex ipsis imagines reluceant; in solo autem lacte huiusmodi simulacrorum expressio locum non habet. *Mansi., disc. 1, n. 7.*

In opusculis sancti Francisci sequentia leguntur: Multoties Beatus Pater fratres suos hortabatur, ut sensus, omni qua possent, sollicitudine custodirent, et refrænerent, sed præcipue oculos docebat habere pudicos, et honestos, hanc illis proponens sæpius parabolam: Rex quidam pius et castus, duos misit successive nuncios ad Reginam qui ei quadam de regis mente significaret. Revestitur primus, et pro verbis quæ ad Reginam delitit, tantum verba Regi reportat, sed de Regina nihil loquitur, quia oculos sapienter tenebat in capite, nec ullatenus prosilierant in Reginam; redit et secundus sed post pauca verba, quæ pro nunciis responsione refert, longam de Regina pulchritudine texuit historiam. Vere, inquit, Domine, pulcherrima, et speciosissima femina est Regina, felix et beatus reputari potest, qui fruatur illa. Cui turbatus Rex: «Tu, serve nequam, in sponsam meam oculos tuos impudicos coniecisti? Credo, quod tibi emere voluisti rem, quam ita curiose prospexisti.» Iratus jubet ad se alterum revocari, et ait illi: «Quid tibi de Regina videtur? optime, inquit, domine, libenter, et modeste audivit verba Regis, et prudenter respondit. Cui ulterius Rex: «Quid de pulchritudine illius judicas? Nonne speciosa, et pulchra tibi visa est? cæteris estne præstantior mulieribus?» Respondit servus: «Domine, de pulchritudine illius nihil scio; venustane an speciosa sit, tuum solummodo est discernere et judicare; meum autem, tua illi verba proferre.» Bene, et cordate, inquit Rex, respondisti. «Tu, qui oculos habes castos, et verecundos, meus esto cubicularius; ex oculorum pudicitia, corporis concilio castitatem et te dignum, cui cubiculi, et regie camere custodiam committam. Tu vero e regione, qui infrænes et impudicos habes oculos, palatium egredere, in domo mea nullatenus remanebis; qui enim serio et subtiliter Reginæ contemplatus es venustatem, timeo, ne illius etiam violare velis honestatem.» Hæc Rex: «Parabolam, fratres, audistis; sensum intellexistis: oculos in aliquam coniecistis? Mulierem vidistis? peniteat? Ab oculis imposterum cavete, mors latet in visu. *Idid., dis. x, n. 6.*

Xenophontis milites cæci oculis fuerunt, quod per multam nivem iter fecerint. Qui igitur nives puritatis intactas, et incontaminatas conservare volunt, cæcorum more se habent, nec oculos, quamdiu inter ejusmodi nives ambulat, aperiunt, ideoque tamquam generosi milites impugnant, et vincunt se ipsos, voluptate oculorum se privando, ne propriam coinquent innocentiam; virtute enim ad hoc opus est, cui proprium est omnem superare difficultatem. *Idid., dis. xii, n. 8.*

Accidit vero illustri, quod adstaret alteri non inferioris dignitatis in templo, cumque ingressa esset adolescentula genere, et forma nobilis, oculos illico in ejus aspectum reflexit, quod cum alteri illi displicuisse animadverteret, ejus severitatem comprimere ausus illo Psalmi versiculo se excusavit: «Delectasti me, Domine, in factura tua.» Sed ille ex tempore, suaviter sane: Perge, ait, et vide, quæ eodem in Psalmo sequuntur, et invenies: «Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.» *GUL. BAL., l. III, Stim. virt.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Christus S. Birgittæ modum gubernandi corporis tradens, inter alia dixit: Datum est homini visum, tamquam bonum speculatorem, qui discernat inter hostes venientes et amicos. Tunc autem, inquit, veniunt hostes, quando oculi desiderant videre pulchras facies. *LUC., vi, c. 6.*

Si nescis, oculi sunt in amore duces, canebat olim Propertius. *L. I, Eleg. 5.*

S. Bernardus ait, oculos pronubos esse, cuius tactus minister est. *L. de Vera Virg.* Plinius testatur, oculos moriente homine primo interire, et ultimo nasci, ut serius exponatur homo telis diaboli et citius subducatur. *LANCIZ., op. n. n. 291.*

Salvianus oculos appellat naturales quosdam animi caniculos. *Lib. de Prov.*

Inter duodecim meditationes, quibus duodecim Anachoretæ se quotidie exercuisse dixerunt, primus et senior eorum dixit: Ego, Fratres, ex quo cœpi quiescere, totum fixi meipsum, his, quæ sunt, visionibus. Et velut murum faciens inter animum, et corporales actus, dixi in mente mea: Quemad-

modum is, qui intra murum præstantem non videt, sic nec tu velis exteriores actus aspiciere, sed teipsum intueri, sustinens quotidie spem Dei. *Vit. PP., ap. LANCIZ., l. c. n. 301.*

S. Basilus rogatus a Libano Sophista scholæ Magistro quem adierat, ut ad ejus discipulos verba faceret, illos inter alia serio monendos censuit, pudore armari, demissos habere oculos, sursum animum. *AMPHILOG., in ejus Vit.*

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam que sunt oculis subjecta fidelibus.
HOR., de Arte poetica.

Oculi membra sunt carnis, sed mentis fenestrate; dicebat S. Augustinus. *Ps. xli.*

NECESSITAS. — Dæmon offert oculis formas illicites, et faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. *LANCIZ., op. II, n. 259.*

Tunc ego te vidi, tunc cœpi scire, quid esses,
Illa fuit mentis prima ruina meæ!

Canit Ovidius, et utinam non cum illo plurimi canere id possent. *Ep. MEDEÆ ad JASON.*

Ignis tangentes, inquebat Xenophon, propeque astantes urit, pulchri et formosi non item; procul enim astantes inflammant. *STOBEUS, s. LXIV.*

S. Bernardus dicebat, oculos esse occasionem peccati, indicium commisse culpæ, causam committendæ. *De Grad. humil.*

UTILITAS. — Cum aliquando S. Ephrem pauperula cœna occuparetur, mulier proca, accessit ad demissam cellæ fenestram, quæ, dum rogat, numquid ad apparatus desideraret, hoc responsum accepit: Nihil equidem nisi tres lateres, et paululum luti ad hanc fenestram occcludendam. *BEIR., III, in Fest. Mar.*

Qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, et oculos, et aures ab his, quæ reliquit, avertat, cito rebellat affectus, quocumque se convertit. Ita Seneca. *SEN., ep. LXX.*

AXIOMATA.

Oculi sunt in amore duces.

AUCTORES.

Nicolaus Lanc., opusc. II, c. IV et XIV.

Jacobus Alvarez, t. II, l. II, p. II, c. II.

Jeremias Drex., in *Nœcta*, l. I, c. VII.

Franciscus Arrias, in *Tribus tract. spir.*, tr. III, p. II, c. XV, XVI et XVII.

Joannes Peleceus, de *Offic. relig.*, l. III, c. VIII.

Laurentius Beirlinck, them. 3, in *festo S. Martini*.

Julius Fatius, de *Mortif.*, c. VI, cons. VII.

Josephus Mansi.

Joannes Rho, l. VII, *Var. virt.*, c. IV.

ODIUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est, juxta D. Augustinum, vetus ira, ex pluribus causis collecta, diuturno tempore perseverans. *S. AUG., l. de finit.* Vel juxta S. Thomam, est dissonantia appetitus rationalis ad apprehensum ut dissonans. *S. TH., l. II, q. 29, ar. 1.*

DIVISIO. — Dividitur a Cajetano, et aliis in Odiū *Abominationis* et Odiū *Inimicitia*. Illud est, quo rem aliquam aversamur; hoc pro personam abominamur, illicque malum optamus. Unde Azor hæc duo *Odia Rei, et personæ* appellat. *CAJET., l. II, q. 29.*

ACTUS. — Primus est, «animo solo aversari alterum:» de quo actu memoranda est Cassiani sententia dicentis: Illud vero quale est, quod interdum patientes non esse credimus, quasi respondere contemnimus lacesciti, vel gestu, motique irrisorio fratrem subsannamus. Quasi vero apud Deum verba tantummodo, et non præcipue voluntas vocetur in culpam, et opus solum peccati, et non etiam votum ac propositum habeamus in crimine? Quid enim differt, utrum quis gladio peremerit fratrem, an aliqua ad mortem fraude compulerit, cum ipsius eum dolo vel crimine constet extinctum? Et infra: Sæpe autem facta patientia etiam acris

ad iracundiam, quam sermo succendit, et atrocissimas verberum transcendit injurias maligna taciturnitas; leviusque toleranter inimicorum vulnera, quam irridendum subdola blandimenta. *Cass., coll. 16, c. xvii et xviii.*

Secundus est, « odium suum verbis: » pnta contumeliis aut imprecationibus mali contestari.

Tertius est, « ipso opere gravi alteri malum, odio impellente, machinari: » quomodo Cain, Abelem, et fratres Josephi hunc suum fraterculum oderunt.

Quartus est, « optare, ut alii quoque inimicis suis malum inferant, »

Quintus est, gaudere si inimicis malum aliquod, aut infortunium eveniat: » de quo actu locutus est Job, quando dixit: Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat: et exultavi, quod invenisset eum malum. *Job., ii, 29.*

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Qui operit odium fraudulentem, revelabit malitiam ejus in consilio. *Prov., xxvi, 26.*

Qui odit fratrem suum, in tenebris est et in tenebris ambulat, et nescit, quo eat, quia tenebræ obcecaverunt oculos ejus. *I. Joan., ii, 11.*

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. *I. Joan., iv, 20.*

Nemo potest perfecte diligere quo vocamur, nisi oderit quo revocamur. *Aug., de Verit. relig.*

Sicut rex in imagine sua honoratur, sic Deus in homine diligitur et oditur; non potest hominem odisse, qui Deum amat, nec potest Deum amare, qui hominem odit. *Chrysost., super Matt., xxii.*

Odientes nos debemus diligere et quantum in nobis est, pacem cum eis habere. *Greg., in Regist.*

FUGA. — Non oderis fratrem in corde tuo sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. *Lev., xix, 17.*

Si offer munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. *Matt., v, 24.*

DAMNUM. — Odium suscitatur rixas, et universa delicta operit charitas. *Pr., x, 12; Joan., iii, 10.*

Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. *Greg., l. V, Moral.*

Odium tenebrat conscientiam. *Chrysost., sup., Matth., hom. xliii.*

Odium spiritus est tenebrarum. Odium omne malum suggerit. *Id. Ibid., hom. xliiii.*

Odium proximi impedit orationis fructus. *Greg., X, Moral.*

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Quemadmodum omnium virtutum excellentissima est charitas, ita universorum vitiorum gravissimum est, odisse proximum. Nam qui fratrem suum odit, homicida est, sicut ait Apostolus: Qui odit fratrem suum, Deum ipsum odit. *S. Eph., in interr., t. I.*

Non est hoc spectandum, ut non habeamus inimicos, sed ne juste et cum causa, et ut, licet millies odio habeamus, non habeamus odio, neque aversemur. *S. Chrys., in Ps. vii.*

Qui seit se vel unum hominem odio habere nescio, si ad altare Domini possit securus accedere, cum præcipue Joannes Evangelista terribiliter clamet, et dicat: Qui fratrem suum odit, homicida est. Nam vestrum est judicare, utrum homicida, antequam penitentiam agat, presumere debet Eucharistiam accipere. *S. Aug., s. 1, de Temp.*

Hæc est pugna periculosa, et hæc gloriosa victoria, qui poterit odisse, quod amat, et amare, quod odit. *S. Chrys., sup. Matt.*

In comparatione odii ira festuca est; sed festucam si nutrias, trabs erit: si evellas et projicias, nihil erit. *S. Aug., in Serm.*

Gravissimum inimicitiae genus est, corde esse adversarium, et lingua simulare devotum. *Cassiod., in Ps. liv.*

DAMNUM. — Irascimini, inquit David, et nolite peccare. Hoc quid velit intelligi, plenius Apostolus interpretatur: Sol non occidat super iracundiam vestram. Quid agemus nos in die judicii, super quorum iram, non unius diei, sed tantorum annorum sol testis occubuit? *S. Hier., ep. xxxvi.*

Qui invidet vel odit, non alium prius quam seipsum occidit. Qui exultat in adversis proximi, et affligitur in prosperis ejus, alieno proximum se petit gladio. *S. Ambra., prec. ii, ad miss.*

Vitam animæ qualibet culpa polluit, servatus vero contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius infligitur, et mucrone illius ipsa viscerum occulta perfodiuntur. *S. Greg., l. X, Mor.*

EXEMPLA CATHOLICA.

QUALITAS. — Esau semper oderat Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei Pater, dixitque in corde suo: Venient dies luctus Patris mei, et occidam Jacob fratrem meum. *Gen., xxvii, 41.*

Fratres Joseph videntes, quod a Patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. *Gen., xxxvii, 4.*

Egyptii Filios Israel summopere oderunt, et afflixerunt illudentes, atque ad amaritudinem perduxerunt vitam eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur. *Ex., i, 12.*

FUGA. — David, quantopere hoc odium fugerit, testatur ipse dicens: Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis. Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. *Ps. cviii, 4.* Unde admirans S. Bernardus exclamat: O vere hominem secundum cor Dei, qui se ulciscenti potius, quam exprobranti succensendum putavit, quaestum existimans maledicta: at ille intendebat, quid in oculo ageret Deus. *S. Bern., s. xxxiv, in Cant.*

Job quoque de se ipso confitebatur, se in ruinam inimici gavisum non fuisse, nec exultasse, quando malum illi occurrit. *Job., xxxi, 29.*

Abbas Agathon dicebat de se: Secundum voluntatem meam nunquam dormivi, retinens in corde meo adversus quemquam dolores; neque dimisi alium dormire habentem adversum me aliquid. *Vit. PP., l. V, libell. 1, n. 6.*

Joseph Patriarcha non solum non odit fratres suos a quibus venditus est, sed oscu-

latus est eos, et ploravit super singulos. Odium fratrum, inquit S. Augustinus, lacrymis charitatis abluebat. Non cogitavit addictam pretio germanitatem, sed pro malis bona restituens, jam tunc necdum data Apostolica præcepta complevit. *Gen., xlv, 15.*

DAMNUM. — Annon sororem suam Thamar post oppressionem exosam habuit odio magno nimis, ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat, unde et ejici eam extra domum jussit. Sed et ipse simile odium ab Absalone, ipsamque denique mortem ex justa Numinis vindicta tulit. *II Reg., xv, 15.*

Aman cum ex odio erga Mardocheum pro ipso jussisset patibulum erigi, interitumque toti genti Judaicæ machinatus esset, conversa fortuna, ipse primus cum familia sua in eo peependit. *ESTHER, c. viii.*

Burgensis quidam cum odium erga quosdam usque ad mortem fovisset, post mortem illius, dum in templo preces pro eo persolvunt, Christus crucifixus manus suas retrahens auribusque inferens claus dixit: Non pereperit, nec parcam. *Spec., Ex. v, dimittere, ex 4.*

Mulier quædam cum odium semel conceptum nunquam amplius dimittere consuesset, in ultimo morbo; dum ei Sacerdos Viaticum porrigere voluit, avertit se ad parietem, et dixit: Sicut me averti ab hominibus, sic Deus avertet se a me, nec unquam misericorditer aspiciet. Quibus dictis paulo post expiravit. *Id. ex. 9.*

EXEMPLA PROFANA.

QUALITAS. — Timon Atheniensis usque adeo odium erga omnes homines bibberat, ut ab omni eorum consortio se abstrahens, semper solus vivere consueverit. Quaesitis autem, quæ esset causa tanti odii? respondit: Improbos odi, quia improbi sunt: reliquos autem, quia improbos non oderunt. *SABELL., l. II, c. iii, ap. Jos. LANG., in Polyant.*

Annibal adhuc puer interrogatus, quando odium inter Carthaginem, et Romam finiendum esset? pedem solo infixit, et suscitato pulvere, tunc finiendum dixit, quando altera pars in pulverem redacta fuerit. *PLUTAR., in Vita.*

Vatinius adeo Romanos oderat, ut in proverbium abierit illius odium, idemque esset Vatianum ac summum odium. *Textor.*, in *Officin.*, l. V, c. xxvi.

Quam vehemens Amilcaris odium adversus populum Romanum? Quatuor enim puerilis ætatis filios intuens, ejusdem numeri catulos leoninos in perniciem imperii nostri alere se prædicabat. Digna nutrimenta qua in exitum patriæ suæ, ut evenit, converterentur. *VAL. MAX.*, l. IX.

Idem Annibal mature adeo patris Amilcaris vestigia subsequutus est, ut eo exercitum in Hispaniam tractaret et ob id sacrificante octo annorum natus, altaria tenens juraret se cum primum per ætatem potuisset, acerrimum hostem populo Romano futurum, ut pertinacissimis precibus instantis belli commilitium exprimeret. *IBID.*

Cum Paulus Romanus a Senatu videret Appium Claudium juniorem Consulem cum Tullio Quinto Capitolino creati, ingenti odio commotus, quo Appiam gentem prosequeretur, ac simul indignatus, comitio excessit, ne ad honores evehi quemquam ex ea gente conspiceret. *BAPT. TULGOS.*, lib. XIX.

FUGA. — Theodorius Rex Venantium inimicum summis honoribus eum auxisset, rationem hujus reddens dixit: Unde sic factum est, ut ei libenter daremus præmium, qui nostrum sic juvit inimicum, quia casu patrocinante contrario, tanto nobis reddebatur acceptus, quanto tunc cognosci sui poterat indevotus, idest, inimicus. *CASSIUS.*, l. I. *Var.*, ep. 1.

Cum Lucius Cinna Augusto Imperatori insidias parasset, Livia conjux Augusti eidem suavit, clementia retraheret ab odio, exemplo Medici, qui extraordinaria media adhibet, quando ordinaria non prosunt. Quare Augustus consilium uxoris secutus, Cinna ad se vocato dixit: « Cinna, iterum tibi vitam do, prius hosti, nunc insidiatori ac Parricidae, eique consolatum obtulit, perpetuoque amicissimum habuit, ac solum heredem reliquit. » *SENEC.*, de *Clem.*, l. IX.

Phocion Imperator licet innocentissimus, cum Atheniensium jussu liete ei poculum venenatum porrigente, propinqui rogassent, quid filio mandaret? « hoc unum, inquit, ut obliviscatur potus hujus, quem nunc ab Atheniensibus oblatum bibo. » *ÆLIAN.*, l. XII.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut inter animantes quædam sunt occulta dissidia, licet nulla appareat dissidii ratio, ut inter araneas, et serpentes, formicas et sorices, trochilum, et aquilam; ita sunt, qui certam gentem aut homines oderunt, cum nesciant, quare oderint. *PLUTARCH.*, l. X, c. LXXIV.

Sicut carboni semel exusto, suffocatoque, si denno flagret, major est vis; ita semel sopitum odium, si rursus excandescat, acris est. *ERASMUS.*, in *Simil.*

Sicut, qui ex balneo calenti, vehementius frigescent; ita aeris se oderunt, qui prius fuerunt amici. *IBID.*

Sicut flamma alacris, fumus vero intolerabilis est; ita sæpe tolerabilior est manifesta injuria, quam occultum odium. *IBID.*, in *Apoph.*

Sicut facile est, ignem injicere, sed difficile injectum extinguere; ita longe facilius est, inimicitias excitare quam componere. *IBID.*

Sicut vultures ad extincta corpora odore feruntur, sana non sentiunt; ita, qui odio habent alios, ad delicta aliorum accurrunt, ac carpunt, ad recte facta autem sunt stupidi. *PLUTARCH.*, in *Moral.*

Sicut ea, quæ rupta sunt, eo difficilius coalescunt, quo magis prius conjuncta sunt, sic amicorum et propinquorum odia tanto sunt vehementiora, quanto arctiori prius amicitia aut necessitudinis vinculo fuerunt constricti. *THEOPHILUS.*, in *Apopt.*, 179.

FUGA. — Sicut si inflas in scintillam, excitas incendium; contra si inspuas, extinguis; et utrumque tibi in manu est, sic odia inflatis, et acerbis sermonibus magis excitantur, mansuetis sopiuntur, juxta illud Salomonis: « Responso mollis frangit iram: sermo durus suscitatur furor. » *PROV.*, xv, t. I.

Sicut cupimus cloacas quam longissime ab ædibus nostris abesse; ita odio velut vitiorum purgamenta fetida, quam longe possimus, a nobis removere oportet. *PLUTARCH.*, in *Moral.*

Sicut Rex in imagine sua honoratur; sic Deus in homine amatur, vel odio habetur. *S. GREG.*, in *Mor.*

DAMNUM. — Sicut nullum in vulnere va-

let medicamentum, si intus sit ferrum; ita nihil proficit illius oratio, in cujus pectore mortiferum versatur odium. *S. AUG.*, de *recta Conversat. Cathol.*

Sicut ex elychnio difflato, et nondum extincto nascitur plurimum fœtor, et aliquando etiam maximum incendium; ita ex odiis dissimulatis gravissimum sæpe oritur tumultus. *LANGIUS.*, in *Pol. V. Odium.*

Sicut si flamma in domo exorta foras non prodeat, perniciosior est, quia nemine prohibente grassatur; ita odium occultum gravissime nocet, quia aliorum auxilio sopiri, et corrigi non potest.

MOTIVA.

« Quia Deo summe injuriosus est: » ut qui ex toto corde amari se præcepit, et merito, quia dignus est, per odium autem proximi tanquam imaginis suæ contemnitur, et odio habetur.

« Quia homine Christiano indignum est: » utpote cui a Christo specialiter mandatum est, ut proximum diligat, et ex hoc indicio verus Discipulus ac Christianus dici studeat. Hinc jam olim de primis Christianis cum admiratione Ethnici dicebant: En quomodo amant se!

« Quia ipsi naturali inclinationi contrarium est hoc vitium: » hæc enim impellit nos ad proximos nostros velut fratres, et membra diligendos, cujus contrarium odio perficitur.

« Quia omnes labores nostros, et opera infructuosa facit: » Si enim orationem repellit Deus, quamdiu odium fovetur, quanto magis de aliis operibus id sentiendum erit?

Quia teste S. Basilio, sicut is, qui charitatem habet, is Deum habet; sic qui odium habet, « diabolus nutrit. »

Quia in manifestum beatitudinis amittenda: « periculum præcipitat: » cum Deus lege talionis uti erga nos, si non dimittimus debita; ita nec ipse dimissurus sit, atque adeo haud dubie in infernum detrusurus sit.

MEDIA.

« Christum in proximo aspicere: » et quasi dicentem sibi imaginari: Quod uni

TOMUS III.

ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ita S. Bernardus suavit dicens: Proinde, dilectissimi, pacem habete ad vos, et nolite laedere invicem, non facti, non verbo, non signo qualicumque; sic enim peccantes, in Christum peccatis, qui ait: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *S. BERN.*, l. XIX, in *Cant.*

« Materiam odii subducere: » uti Plutarchus suavit: Subduc materiam, et extinguetur ignis; subduc occasionem, conquiescet odium sive invidia. *PLUTARCH.*, ap. *Lang.* in *Polian.*

« Sua peccata considerare: » sic enim odium quisque in se convertet. Ita S. Augustinus movit his verbis: O quicumque ille es, attendis quod tibi fecerit homo, et non consideras quid tu feceris Deo, cum enim tu multum graviora in Deum peccata commiseris, quare non dimittis homini parum, ut tibi Deo dignetur remittere multum? *S. AUG.*, s. de *S. Steph.*

« Charismata meliora æmulari: » juxta consilium S. Petri dicentis: Et quis est, qui nocet vobis, si boni æmulatores fueritis. *I. PETR.*, III, 13.

« Duplicem personam intueri in iis, qui nos injuria affectisse videntur: » unam, qua nobis male volunt propria voluntate; alteram, quam velut instrumentum a Deo assumptum id exequuntur, quod Deus per providentiam suam ad majus nostrum bonum fieri decrevit, quo modo Joseph fratres suos aspexit, dum dixit: Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum (propria voluntate inferendum) sed Deus vertit illud in bonum per suam singularem providentiam. *GEN.*, I, 29.

ASCETICA.

Quatuor præcipue sunt, quæ ab Asceta specialiter circa hoc vitium notanda sunt. Primum est, ut bene adisceat, et distinguat, quid in proximo sit odio habendum. Quia in re Cassiodorus facem præferet dicens: « Perfectum odium est, homines diligere, et eorum vitia semper horrere; nam in illa parte, qua creatura Dei sunt, amandos esse non dubium est: in illa iniquitate horrendi sunt, in quæ polluerunt. » *CASSIOD.*, super *Ps.*

Alterum est, ut sciat, quomodo se defen-

dere debeat contra activum odium, nimirum observando doctrinam ultimam prioris datam; sic enim apprehensionem injuriæ vel offensæ, ex qua omne odium nascitur, facile tollet, et cum ea tanquam radice ipsum etiam odii vitium exterminabit.

Quartum est, ut sciat, quomodo se gerere debeat, si ipse forte causam odii dedit alteri, videlicet se æqualis est, sequendo consilium S. Augustini dicentis: « Ipsos in primis admoneo; quicumque habetis discordiam cum fratribus vestris, et revocatis ad vos, et consideratis vos, et justum iudicium fertis in vobis intus in cordibus vestris, et inveniatis vos non debuisse facere, quod fecistis, non debuitis dicere, quod dixistis. Petite veniam fratres a fratribus vestris, facite fratribus, quod ait Apostolus: Donantes vobis ipsis, sicut, et Deus in Christo donavit vobis. Nolite erubescere veniam petere. S. Aug., *hom. xl.*, ex. 50. Si autem Superior sit, qui offendit, aliud ejusdem Sancti consilium audiat, dum ait: Ante oculos Dei pœniteat eum, ante oculos Dei puniat cor suum, et si non potest dicere servo suo, quia non operet: da mihi veniam, blande illum alloquatur; blanda enim appellatio veniæ est postulatio. *IBID.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Non oderis fratrem tuum in corde tuo: » explicari possunt causæ, cur Proximus odio non sit habendus, nimirum 1. quia « imago Dei » est, atque adeo, qui ipsum odit, Deum odisse censendus est. 2. Quia « instrumentum Dei » est paterne nos corrigere volentis. 3. Quia « phrenesi » interiore animi captus est, atque adeo commiseratione potius, quam odio dignus est. 4. Quia « membrum » est ejusdem corporis, cujus nos membrum sumus, atque adeo iterum amorem potius quam odium meretur, cum nemo carnem suam odio habeat. *LEV., xix.*, 17.

Ex occasione thematis: « Qua mensura mensi fueritis, eadem remeietur vobis: » ostendantur damna, quæ incurruntur per odium scilicet par aut majus odium. 1. Apud Deum, qui sicut diligentes se diligit, ita se odio habentes in sua imagine pariter odisse solet. 2. Apud Proximos: quia sicut hi diligi optant ab aliis, ita vel maxime detes-

tantur eos, qui ejusmodi dilectioni officium prætermittunt, atque ad odium proni sunt. 3. Apud seipsos; cum enim odium, et rancor omnem cordi lætitiã surripiant, necessario fieri solet, ut ejusmodi homines ob internam tristitiã, et melancholiã etiam sibi ipsis odiosi, et graves sint, atque adeo infernum quendam experiri incipiant.

Ex occasione thematis: « Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: » ostendi potest, quam recte S. Joannes odium homicidii comparat. 1. Quia, quantum ex se, is, qui odit, occidit Deum, quatenus est causa Passionis Christi. 2. Quia occidit Proximum, imprecando ei, machinando, aut etiam actu inferendo mortem vel corporalem, vel certe spiritualem peccati aut infamiæ. 3. Quia seipsum occidit, tum abbreviando vitam corporis per tristitiã, et rumorem; tum animam occidendo per tristitiã, et rancorem; tum animam occidendo per peccatum ipsum odii.

Vide plures conceptus in titulis Ira, et Dilectio inimici.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Recte dixit Seneca: Non est prudentis, errantes odisse; alioqui ipse sibi odio erit. *SENEC., de Ira.*

Fabius Maximus dicebat, absurdum sibi videri, sic cum equos, et canes venaticos familiaritate, ciboque cicuremus potius, quam catenis ac verberibus, homines feroces animo, non humanitate ac beneficiis nobis conciliemus; sed asperiores in illos simus, quam agricolæ sunt in caprificos ac malos silvestres, et oleastro, qui has non profinus excidunt, sed incisione docent mitescere. *PLUTARC., in Apoph.*

Sigismundus Imp. cum ei Laurentius Ungariæ Palatinus diceret, imprudenter eum facere, quod victos hostes in amicos reciperet, respondit: Tibi quidem videtur utile inimicum occidere, quia mortuus bellum non excitat; atqui ego inimicum occido, dum parco; et amicum facio, dum extollo. *ÆNEAS SILVIUS, l. III, Comm.*

Cum duobus inimicis in navi, et quidem altero in puppi, altero in prora sedentibus, gravis tempestas interitum minaretur, interrogavit is, qui in puppi sedebat, qua parte Navarchus putaret navim prius hau-

riendam; cumque intellexisset, in prora citius mergendam, jam, inquit, mihi mors mea multo levior evadet, quando inimicum meum prius morientem videbo. *LANGIUS, in Polyant. inimicit.*

Ariston cum ex quodam audivisset, amicis bene, inimicis male faciendum, quinimo, respondit, præstantius est amicis beneficiere, et ex inimicis etiam reddere amicos. *PLUTARC. l. c.*

DAMNEM. — Plutarchus dicere solebat, inimicos venenis similes esse, quæ alexipharmaca constitunt; nam et ipsi, licet mali, aliena mala tollunt et corrigunt.

Boetius indicavit, nullam pestem esse efficaciorum ad nocendum, quam familiarum inimicum. *BOET., 63, de Cons.*

Effectus odii pulchre descripsit Seneca sequentibus:

Si æterna semper odia mortales agant,
Nec coeptis unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix pareat,
Nihil relinquunt bella, tum vastis ager
Squalebit arvis, subdita tectis face
Alius sepultas obruit Gentes cinis.

SENEC., in Herc. sur.

AXIOMATA.

Figulus figulum odit.

Ex grandi amicitia nascuntur grandia odia.

Odia occulta pariunt incommoda multa.

Inclusa odia pariunt grandes tempestates.

Oderint dum metuant.

Odia inveterata, raro sanata.

AUCTORES.

Joannes Buseus in *Panario V.* eodem.
Jacobus Marchantius in *Tuba sacerdot.* tr. IV, lect. IV.

Josephus Langius in *Polyanthæa V.* eodem.

Thomas Stapletonus text. II, in *Dom. 3 post Pent.*

OPUS BONUM.

QUAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est opus, vitæ æternæ meritum. Sic enim hic accipitur, et non prout est opus laudabile, seu rationis dictamini conforme, quale etiam ab Ethnicis patris potest.

DIVISIO. — Dividitur in opus « necessarium, et super rogatorium; » illud est, quod omnino impleri necesse est ab iis, qui vitam æternam obtinere desiderant; illud est, quod libere ab operante suscipitur.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate. *I JOAN., III, 8.*

Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in oculis est. *MATTH., v, 26.*

Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari. *JOAN., IX, 4.*

Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. *PS. I, 4.*

Bonum opus operata est in me. *MARC., XIV, 6.*

Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. *JOAN., vi, 27.*

Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. *I COR., xv, 58.*

Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. *JOAN., xxi, 35.*

Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. *JOAN., xv, 26.*

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem domesticos fidei. *GAL., vi, 10.*

Satagite, ut per bona opera certam voca-

tionem vestram, et electionem faciatis. II PETR., I, 10.

NECESSITAS. — Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. MATTH., III, 10.

Non omnis, qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. MATTH., VII, 12.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. IBD., XV, 2.

Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum? JAC., II, 24.

UTILITAS. — Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirit a te : utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. MICH., VI, 6.

Dicite iusto, quoniam bene; quoniam fructum adinventioinum suarum comedet. IS., III, 10.

Reddet unicuique secundum opera ejus. ROM., II, 6.

Gloria autem et honor, et pax omni operanti bonum. IB., 10.

Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo meremus non deficientes. GAL., VI, 9.

De fructu oris sui unusquisque repletur bonis, et juxta opera manuum suarum retribuetur ei. PROV., XII, 14.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Habent opera linguam suam, habent faciendam suam etiam tacente lingua; facta namque præ dietis amantem probant. S. CYRILL. AP. LYRÆUM, APOC. XIV, I, I.

Manus datæ sunt homini, ut melius loqueretur; tunc enim melius quis loquitur, cum manuum actiones vocem comitantur, et pronuntiationem adjuvant; illarum quippe motus, rei, de qua agitur, et vocis sono conveniens, nescio quid spiritus, et vite habet. Quisquis igitur diligere se alium asserit, et in verbis sistit, sine manibus

loquitur, verba ejus quodammodo mortua sunt; accedat operatio, quæ manuum similitudine significatur, et fiet ut melius loquatur. S. GREG. NYSS., I, de *Opif. Mundi*.

Non absque sacramenti quadam significatione hoc mihi videtur scriptum (scilicet historia de militibus Gedeonis aquam manu lambentibus) nempe quod et manu, et lingua operari debeant milites Christi, hoc est, opere et verbo. ORIG., HOM. IX, in *Judicis*.

Qui Christum profitentur se amare, non modo ex iis, quæ dicunt sed ex iis quæ faciunt, cognoscuntur; ex fructibus enim arbor dignoscitur; præstat enim amicum esse, et tacere, quam loqui, et non esse : non in sermone regnum Dei, sed in virtute est. S. IGN. M. in *ep. ad Ephes.*

Ille syllogismus certissime concludit, qui per opera efficitur. S. CURRUS. AP. LYR., APOC. IX, I, I.

Spiritualis homo omne opus suum trina consideratione præveniat. Primo, an liceat : deinde, an deceat : postremo, an expediat; nam etiamsi constet in Christiana Philosophia non decere, quod non licet, non expedire, quod non decet, et non licet, non continuo tamen omne, quod licet decere aut expedire consequens erit. S. BER., I, III, de *Confid.*, c. IV.

Potest juxta Apostolicam adhortationem vir quisvis bonarum artium studiosus cuncta facere ad gloriam Dei, ita ut facta, dictaque ipsius omnia, omnisque spiritualis operatio vim laudis habeant. Sive enim bibat justus, sive edat, omnia ad Dei gloriam facit. Talis etiam, cum dormit, convigilat, juxta verbum dicentis in Canticis Cantico: « Ego dormio, et cor meum vigilat. » S. BASIL., in *Ps. xxxiii*.

Vigilanti cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat, sed totam se in soliditate æternitatis figat. S. GREG., I, XI, in *Job*.

Bonorum opus fiat non timore, sed amore, non formidine pœnæ, sed dilectione justitiæ, et ipsa enim vera et summa libertas est. AUG. SUP. *Psalm*.

Bonum et rectum est omne quod agimus, sic nec memoriam decipat oblivio, nec error intelligentiam, nec iniquitas voluntatem; ab his tribus est omne quod agimus. IDEM in *Joan*.

In opere perfectus non est, cui adhuc lingue pravitas contradicit, nec in sermone

laudabilis, qui hoc quod loquitur, opere non ostendit. GREG., in *Moral*.

Probatio dilectionis, exhibitio est operis. Non sibi aliquid credat quicquid sibi animus sine testatione operis respondet, de dilectione conditoris, mens, lingua et vita requiruntur. Nunquam est amor Dei otiosus, operatur enim magna, si est; si vero operari renuit, amor non est. IDEM, in *Homil*.

NECESSITAS. — Nec sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione respondeat. De dilectione Conditoris lingua, mens, et vita requiruntur. IDEM, HOM. III, in *Ev*.

UTILITAS. — Non transeunt opera nostra, ut videntur, sed temporalia quæque, velut æternitatis semina jaciuntur. Stupebit insipiens, cum ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem, sive bonam, sive malam pro qualitate sementis. S. BER., S. XV, ad *Clere*.

Ad quid opera illorum sequuntur, ut laudent eos in portis? ad quid sequuntur, nisi ut multiplicentur a fructu eorum, et accipiens de fructu manuum suarum agnoscant vituli, quos ex testimonio Prophetico, cum reedificabuntur muri Jerusalem, super altare Domini novimus imponendos. IDEM, S. de *Omn. SS*.

EXEMPLA.

Christus usque adeo perfecte sua opera elaboravit, ut publicum a turba testimonium tulerit, dicente : Bene omnia fecit. Sed et S. Mariæ Magdalena quondam dixit : « Sint omnia opera tua facta cum tanta mansuetudine, et cum actu ser gestu adeo humilium, ut repræsentent magnetem ad trahendas creaturas ad Deum; et cum tanta prudentia, ut sint regula membrum meis, id est animabus religiosis, et tuis proximis. » *Vita*, p. I, c. x.

Abel, teste Josepho, justitiam colebat, et omnibus actionibus suis Deum præsentem ratus, virtuti operam dabat. JOSEPH., I, I, *Antiq.*, c. III.

De Noe testatur S. Scriptura, quod fuerit vir justus, atque perfectus in operibus suis, et cum Deo ambulaverit. GEN., IX, 9.

David erat vir secundum cor Dei, et faciebat omnes voluntates ejus, et quod erat

rectum in oculis Domini, et non declinavit ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vite suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi. ACT. XIII, 12. III *Reg.* XV, 3.

Ezechias operatus est bonum, et rectum, et verum coram Domino Deo suo in universa cultura Ministerii domus Domini, juxta legem, et cæremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo. Hinc etiam ausus est ad Deum dicere : « Obsecro, Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te, in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te, fecerim. IV *Reg.* XX, 3.

De Job quoque dixit Deus ad Satan : Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo rectus, et simplex, ac timens Deum, et recedens a malo? JOB., I, 8.

S. Clara de monte Falco cum tanta cautela ac diligentia omnia sua peragebat, ac si quavis hora vocanda foret ad rationem Deo reddendam. P. I, *Vit.*, c. v.

Senex quidam ex antiquis Patribus, ad se venientibus dicere solebat : « Non opus est verborum tantum : sententiam verba plurima in hominibus tempore hoc, sed opera necessaria sunt; hæc enim Deus querit, non verba, quæ fructum non habent. » LYRÆUS, I, V, *Apoph.* 14.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut arbor, si virescat foliis, flores redeolet, etsi immaturis fructibus fecunda, et amena in se esse videatur, infructuosa censenda est; ita et opus quodlibet, si interna virtutis ac charitatis directione informatum non est, æternæ vite merito prorsus caret. S. LAUR. JUST., *Proem*.

Sicut qui sepem aut aggerem construunt, quodvis congerunt lignum, saxum, aut columnam e sepulcro delapsam; at qui Regiam ædificant, nihil temere componit; sic vir bonus nullam vitæ partem negligit in compositis. PLUTARCH., de *Cognit. profect*.

Sicut in templo Salomonis nihil erat, quod non auro tegetur; sic in templo animæ nullum opus relinqui debet, quod non auro charitatis divinæ, seu purissimæ intentionis vestiatur. DREX., in *Amussi*, I, II, c. x.

Sicut homines avari nec minima lucra contemnunt, sed semper cumulo addunt; ita

homo nec minimas beneficiendi occasiones prætermittit debet. STAPL., t. 3, in *Dom. 7 post Pent.*

Sicut in eo, qui recte valet, calor naturalis omne alimentum in sanguinem convertit sic in Deo radicatus, omnia quæ facit, et quæ ei accidunt, materiam virtutis et boni operis facit. *IBID.*

Sicut domini honoratiores famulos suos, qui eos comitantur ad magnum Principem aut imperatorem ituros, quam possunt, optime, et decentissime vestire solent, ita, cum opera nostra nos olim ad Deum Judicem ituros committitura sint, æquum est, ut quam possimus, perfectissime eadem peragamus. *BYRL.,* tex. IV, in *festo S. Cath.*

Sicut ii, qui ad nuptias invitati sunt, omnem operam adhibent, ut honestissime vestiti accedant; ita qui ad cœlestes nuptias invitatos se credunt, non minorem diligentiam adhibent, ut pulcherrimis virtutibus, optimisque operibus ornatu compareant. *IBID.*

UTILITAS. — Sicut malis operibus, quasi quibusdam vectibus ac seris vitæ nobis janua clauditur; ita absque dubio bonis operibus aperitur.

MOTIVA.

NECESSITAS. — Quia ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum, teste S. Jacobo. *JAC.,* II, 24. Et hæc sunt, ex quibus in altera vita vivere debemus, unde merito hortatur Salomon: « Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. » *ECCLES.,* IX, 10.

UTILITAS. — Quia opera bona sunt veræ divitiæ spirituales ad omnia utiles, teste S. Paulo dicente: « Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem (quam Interpretes volunt in bonorum operum exercitio consistere) ad omnia utilis est. » *I TIM.,* IV, 8. « Unde et Christus tam sollicitè ad hos thesauros, quos nec fures effodiunt, et furantur, nec arugo, et linea consumit, congregandos hortatur. » *MATTH.,* VI, 20.

JUCUNDITAS. — Si enim tam jucundus est operariis, artificibus, mercatoribus, et militibus labor ac certamen, quia per eos se divitiis temporales, et perituras obtenturos sperant; quanto magis jucunda accidere

debet operum bonorum exercitatio, per quam veræ, et æternæ mensuræ divitiæ spirituales comparantur.

DIGNITAS. — Si enim in hac vita tanto quisque dignior censetur, quanto propius dignitate sua ad Regem vel Imperatorem accedit, quantoque major horum amicis creditur: quantum bonis operibus dignitatem inesse necesse est, per quæ sola homo proxime ad Deum accedit, et amicus ejus charissimus efficitur.

FACILITAS. — Cum enim Deus, teste pio Auctore, magis penset, ex quanto quis agat, quam opus, quod facit, facile patet, facilitum cuique esse, bonis operibus vacare; quam ob causam Christus onus suum leve, et jugum suave esse dixit. *MATTH.,* XI, 30.

MEDIA.

AMOR DEI. — Nam, ut S. Gregorius ait, nunquam Dei amor est otiosus: operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est. S. GREG., h. III, in *Ev. Bedemb.,* l. VIII, collat.

AMOR SUI ORDINATUS. — Si enim temporalibus divitiis tantopere inhiamus, ut per eas nobis bene sit in hac vita, quanto magis operibus bonis studiose vacandum est, quæ efficiunt, ut nobis in hac, et altera bene sit? Hinc merito B. Mechthildem, cum quondam a Christo visitaretur, has Beatorum in cœlis voces audivisse dicitur: « O felices vos, qui in terris adhuc degitis, meritum enim majores cumulos vobis potestis comparare! Si enim quantum quotidie meritum mortalis sibi acquirere potest, probe intelligeret quo temporis articulo mane expergiscitur, summo perfunderetur gaudio, advertens diem sibi illucescere, qua Deo vivere, et tantis se divitiis, meritisque locupletare se possit. »

AMOR, ET ZELUS ERGA PROXIMUM. — Cum enim hujus salutis maxime per gratiam Dei efficacem procuretur (nam homo rigat, et plantat dumtaxat, Deus autem dat incrementum teste D. Paulo), *I COR.,* III, 6, hæc autem gratia tanto certius et copiosius obtineatur, quanto gratior estis, qui eam petit, tanto autem Deo quisque sit gratior, quanto copiosius amorem suum operibus Deo gratis testatur; recte inferitur, optimum esse proximo subveniendi medium, honorum, id est, statui

suo ac vocationi conformium operum exercitium.

VITÆ BREVITAS. — Quis enim mendicis, si Rex ei thesaurum aperiret, ac facultatem concederet, per unum diem auferendi ex illo thesauro, quantum vellet, et posset, vel unicum momentum abire siceret, quem non pecuniis ex thesauro exportandis impenderet? quanto magis ergo cessare non debet manus nostra spatio tam brevi vitæ ad divitiis cœlestes comparandas concessio. Hinc merito monet Apostolus: « Videte, Fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, rudimentes tempus: quoniam dies mali sunt. » *EPH.,* V, 15.

SECVLARIVM FERVOR, ET EXEMPLVM. — Si enim illi dienoctique a laboribus non cessant, ut honores et opes, et voluptates perituras acquirere, fruique iis possent, quid facere non deberet homo, ut æternas opes, ac voluptates gloriæque consequatur? O utinam non cum veritate dici posset: « Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. » *LUC.,* XVI, 8.

ASCETICA.

Tria sunt præcipua, quæ Asceta de bonis operibus nosse, aliisque bene inculcare debet. Primum est, ut bene cognoscat, quarum conditiones ad opus bonum requirantur scilicet, ut quoad *substantiam* sit saltem indifferens, quoad *modum* fiat cum debita diligentia, et circumstantiis, et quoad *finem* fiat propter finem supernaturalem. Quod nonnulli breviter expresserunt, dum dixerunt:

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agique,
Quæ vult, quove modo vult Deus, et quia vult.

De primo quidem testatur Theodoretus his verbis: « Qui Deum amat, omnia alia despiciens, et eum solum, qui amatur, respiciens, illius curam, et suam in eum servitatem cæteris præfert omnibus, illa solum dicens, et faciens, quæ ei, quem amat, placeat, et grata sunt, et abhorret omnia, quæcumque ille prohibet. » *THEODOR.,* orat. de *Charit.*

Quod ipsum etiam sentiens B. Petrus Damianus, ait: « Unum est, quod mens cuiusque fidelis debet solerter attendere, et intra semetipsum sollicita semper inquisitione versare, scilicet utrum placeat Deo, quod

agit, et an ejus vita vel operibus Deus delectetur; quid enim prodest, quidquid homo faciat, si hoc non placeat Deo? » Sicut enim, inquit Stapletonus: qui aliquem invitat parat studiose cibos, non suo, sed hostis palato gratos; sic si Deo per opera nostra placere volumus, ea oportet facere, quæ ipsi grata, non quæ nostris cupiditatibus accepta sunt. S. PETRUS DAM., l. V, ep. III. Porro ut cognoscamus, quæ ipsi grata sunt, tres habemus Superiores, qui id indicent (ut bene notavit Joannes Ximenez Societatis Jesu coadjutor) Deum in cœlo, Superiorem in Capitulo, rationem in capite; *Vita P., Balt. Albar.,* c. XXI et XLV; nam, ut S. Laurentius Justinianus ait: Hominis ratio, cum splendore illustratur sapientia, et divino appropinquat lumini, est quadam spiritualis regula, et magistra virtutum, per quam, quid rectum, quidve obliquum versetur in corpore, quid agendum, et quid omittendum sit, sufficienter intelligit. Ideo Christi legitimus servus, et perfectionis amator nunquam cesset, rationis iudicio virtutum actus examinare, ne incuria discretionis, vitium sub virtutis velamine ad opus exeat. S. LAUR. JUST., c. XXIV, de *disc. et perf. mon. const.* Sed, et S. Basilii testatur, Deum per naturæ legem, boni malique rationem nobis indidisse, sui dominam, aurigandi gnaram, et rectricem optimam. S. BASIL., c. VII, de *Præscript.*

Quod vero etiam eo modo, qui Deo placeat, facere nostra debeamus, sat clare indicavit Apostolus, dum hortatus est, ut essemus abundantes in bono opere semper, id est, ut S. Basilii explicat, majore studio persequamur opus Domini, quam ea, quæ vulgo sunt in studio apud homines; si enim idem Apostolus dominis carnalibus voluit serviri non ad oculum, sed ex animo cum timore, et tremore, simplicitate, et bona voluntate, quanto magis ab homine Deus in suo servitio similem diligentiam requiret? S. BASIL., in *Reg.,* brev., 490. Hinc per Siracidem hortatur: « In omnibus operibus tuis præcellens esto. » *ECCLES.,* XXIII, 23.

Quod denique etiam facienda sint opera, « quia Deo placeant, » pulchre in primis indicavit S. Bernardus, dum ait, ex intentione rectitudinem operis, velut ex facie pulchritudinem corporis aestimari. Duo autem in intentione (quam faciem animæ esse diximus) necessaria requiruntur tanquam duæ genere res, et causa, id est quid intendas et propter

quid. Et ex his sane duobus animæ vel decor, vel deformitas judicatur. Illud porro opus, teste Granatensi, est Deo gratissimum quod solis ejus oculis conspicuum, ei, qui operatur, nec utilitati, nec honori, sed nec voluptati est, nisi hoc solo nomine, quod Dei causa sit factum. LUD. GRA., ap. DREX., in *Amiss.*, l. II, c. vi, q. 1. E contrario vero, juxta S. Bernardum, insipida Deo, et quodammodo insulsa est nostra obedientia vel patientia, nisi omnium quæ vel agimus, vel patimur, ipse sit causa. S. BERN., s. de *Obed. et pat.* Quam autem sublimis sit hic gradus, testatur aperte Sanctus Laurentius Justinianus, dum ait: Rarus profecto reperitur, qui solo testimonio contentus sit divino. Hoc probatissimum virorum proprium est, qui in luce veritatis gradientes introrsus, Deo tantum placere concupiscunt. S. LAUR. JUSTIN., de *Compl. Chr.*, *Perf.*, col. 49.

Alterum est, ut magna de ejusmodi bonis operibus estimationem concipiat, quam quidem hand difficulter hauriet, si certo sibi persuadet, optimam vitam (qualis est, quæ optimis operibus abundat) esse « summum, » quem Deo exhibere possumus « cultum: summum, » quod nobis ipsis hac in vita procurare possumus, « gaudium: et summum » denique, quod defunctis æque ac viventibus prestare possumus auxilium.

Tertium est, ut medium idoneum, et efficax norit, quo in ejusmodi bonorum operum exercitio juvetur, quale quidem præ reliquis æstimatur, si ita hoc exercitium aggrediatur, ac si dies quilibet aut primus conversionis, aut ultimus vitæ esset; quorum mediorem primum S. Antonius suasit dicens: Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, ullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem debere semper augere, quod coeperit. S. ANTON., t. II, p. 386. Alterum S. Basilius suggestit dicens: Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies. Cum enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire; et cum in lectulum ad quiescendum membra tua posteris, noli confidere de lucis adventu, facilis te possis refrænare ab omnibus vitiiis. S. BASIL., in *Instruct. ad Fil. spir.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Thesaurizate vobis thesauros in celo: » possunt bona

opéra thesauro comparari. 1. « Propter veritatem » « operum: » sicut enim in thesauro res valde variæ reperiuntur; ita vita quoque nostra variis operibus, ab obedientia, ac Dei voluntate præscriptis, abundare debet. 2. « Propter antiquitatem: » quia sicut thesaurus est pecunia, vel aliæ similes res abscondita a longo tempore; ita ab antiquis Patribus ac Majoribus bona opera jam sunt exercita, et nobis pro thesauro, id est, ad imitationem relicta. 3. « Propter præstantiam et valorem: » quia sicut thesaurus divitem, et beatum, omnibusque bonis affluentem facit hominem; ita ad ipsum multo copiosius, et sublimius bona opera faciunt, uti facile fusius ostendi potest. Excitentur proinde Auditores, ut nulli labori parcant in hoc thesauro comparando, et offodiendo. MATTH., vi, 20.

Ex occasione thematis: « Opera enim illorum sequuntur illos: » potest narrari, et explicari Parabola Barlaami de amico, qui ad judicem citatus, tres, quos habebat amicos rogavit, ut secum irent, et apud judicem defenderent; quorum primus (per quem divitias intelligebat) nonnisi indusium aut vestem, qua honeste legeretur, obtulit: alter (per quem consanguinei significuntur) nonnisi ad domum usque judicis, seu sepulcrum, comitabatur: tertius, quem minime sibi conciliare studebat (opera puta) usque ad judicium secutus est, fortiterque defendit. Excitentur proinde Auditores, ut hunc velut sincerissimum Amicum pluris æstiment, et ante omnes fovere per frequens exercitium studeant. APOC., xiv, 13.

Ex occasione thematis: « Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: » Possunt bona opera oleo comparari, lampas vero anima dici. Et 1. quidem necessitas bonorum operum ostendi, quod scilicet, quam parum lumen sine oleo aut simili materia nutrirî, tam parum lumen gloriæ, et visio beatifica sine bonis operibus conservari possit. 2. Ostendi potest gaudium, quod ex lumine gloriæ per oleum bonorum operum accenso, vel obtento oritur, ubi fusius nuptiarum cœlestium, et beatitudinis æternæ jucunditas explicari potest. 3. Ostendi possunt mercatores, qui ejusmodi oleum vendunt, id est, occasiones variæ bonorum operum exercendorum proponi possunt, atque ad illas sollicite apprehendendas Auditores excitari.

salutem, quia sua intentione hoc primitus Domino libavit. L. IV, in *Fin.*, c. xiii.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Ecclesia, dum Epistolam recitari in Missa jubet, non frustra manus libro applicari præcipit, ut significet non sufficere audire verbum Dei, sed etiam manum applicandam esse, id est, opere complendum, quod lectum est. LYREUS, l. I. *Apoph.*, xiv.

Olim in Veteri Testamento non offerebantur pulli, nisi retorto ad collum capite, circa quem ritum S. Gregorius ait: Caput ad penulas retorqueri præcipitur, ut ea, quæ dicis, facias, et os ad opera conjungas: quid enim ait S. Prosper, agat domum dilectionis, si benevolentia sollicitudo non vigilet? S. GREG., h. vii, *Eze.*, S. *Prosp.*, apud LYR., l. c.

Maximum hoc est, et officium sapientiæ, et judicium, ut verbis opera concordent, et ipse par tibi ubique, ibidemque sis. Quis hoc præstabit? pauci aliqui tamen. SENECA, ep. xx. ENGELGR., in *Lucæ. Ev.*

NECESSITAS. — Cato Romanus neminem in civem Romanum admittebat, nisi qui callosas, et labore induratas manus haberet; sic neque Deus alios in cœlum admittit, nisi qui in bonis operibus strenue se exercuerunt.

UTILITAS. — Chiromante ex manibus hominis prosperam ei vel adversam fortunam annunciant; verius tamen ex operibus bonis manuum vel mentis, felix ei status æternitatis prædicatur. LYREUS, l. c.

Aristodemus, cum uxor ei geminos filios peperisset, ut de hærede regni Lacedæmonici judicare posset, atque adeo quis primogenitus esset, intelligere, ex insidiis arbitros observare jussit, quem ex geminis mater primum uberibus admovent, unis exciperet, oculis disuaviaret, sique ex hisce indicis primogenitus innotuit. Simili modo etiam noster erga Deum amor, et primi amici ex operibus cognoscuntur. IUD.

S. Gertrudis divinitus edocta est, quod quandocumque aliquis scribit, vel alios doceat ea intentione, ut laus Dei per hoc promoveatur, et profectus animarum, tunc omnis profectus, quem unquam aliquis ex illa doctrina vel Scriptura etiam post mille annorum millia consequatur, cedit in illius

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. iii, cap. iii et ix, et opusc. v, c. iii et opusc. x, cap. viii. Item opusc. xi, cap. xxxii et cap. xvii.

Adrianus Lyreus, in *Apoph. Sancti Ignatii*, l. I, *Apoph.* xiv.

Thomas Stapletonus, text. iii et v, in *Dom. 7 post Pent.*, et text. vii, in *Dom. 12 post Pent.* Item, text. ii, in *Dom. Septuag.*

Hieremias Drexelius, in *Amissis*, seu *Recta intentione*, l. II, c. x.

Henricus Engelgrave, p. I, *Lucis Evang.*, embli. 39.

Mathias Faber, conc. iii, in *Dom. 7 post Pentecost.* et conc. v, in *Dom.*, 11 post *Pent.*, et conc. i, *Dom. Septuag.*

ORATIO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est elevatio mentis ad Deum, ut eam S. Damascenus definit. S. DAMAS. l. III, de *Fide*. Vel, ut S. Augustinus, est locutio ad Deum: S. AUG., in *Ps.* lxxxv, quando enim legis, tibi loqueris Deus: quando oras, cum Deo loqueris. Fusius B. Baltas. Alvarez Soc. Jesu, orare, inquit, est spiritum suum ad Deum elevare, eique res suas omnes familiariter, magna cum reverentia communicare, sicut solet amicus cum amico, cui fidit. Ex quibus definitionibus Ludovicus Granatensis sequentia colligit præconia orationis: Oratio est « Elevatio » animæ supra se, et super omnia, cum creata sunt: « Unio » cum Deo, et in profundum immensæ suavitalis, et amoris Divini pelagus immersio. Oratio est « Exitus » animi ad recipiendum Deum, cum venit ad illum: trahit eum ad se tanquam vicinum: hospitio excipit in se tanquam in suo templo: ibi possidet eum, amat eum, et fruatur eo. Oratio est « Statio » animæ in presentia